

Nationalbibliothek zum Geschenk gemacht, sodass es nun dem Codex, dem es entstammt, restituirt werden konnte.

I. 1303 Juli 26 (fol. 17').

Nos Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ad universorum notitiam volumus pervenire, quod consideratis virtuosis operibus, quibus spectabilis vir Humbertus Dalphinus Viennensis et Albonis comes dominusque de Turre dilectus noster fidelis adornatur, ac fidei constantia incorrupte pensata, qua idem erga nos et imperium multipliciter dinoscitur choruscare, omnia privilegia sibi et Dalphinis Vienn(ensibus) et Albonis comitibus dominisque de Turre predecessoribus suis et eorum heredibus ab inclite recordationis domino Rudolpho Romanorum rege invictissimo nostro genitore karissimo ac aliis imperatoribus et regibus Romanorum nostris predecessoribus concessa ratificamus, approbamus et presentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius nostre ratificationis, approbationis et confirmationis testimonium hanc litteram exinde conscribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

Datum in Nueremberg, anno Domini millesimo CCC tertio, VII. Kalen. Augusti, inditione prima, regni vero nostri anno sexto.

II. 1305 Mai 29.

Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri Romani imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum.

In regie dignitatis specula divino munere collocati libenter ad fidelium subditorum utilitates et commoda procuranda solite benignitatis inclinamus intuitum, ut ceteri ex eo devotionis et fidei ad nos et sacrum Romanum imperium suscipiant incentivum. Sane ex parte nobilis viri Humberti Dalphini comitis Albonen(sis) fidelis nostri dilecti nostre extitit celsitudini supplicatum, ut iura, libertates et gratias sibi ab inclite recordationis . . Rud. Romanorum rege nostro genitore et predecessore karissimo concessa et concessas ratificare et confirmare de benignitate regia dignaremur. Nos itaque ipsius supplicationibus favorabiliter inclinati, universa iura, libertates et gratias, sive sit de officio senescalcie regni Arelaten(sis)<sup>1</sup> sive de aliis, prout in litteris super<sup>2</sup> hoc confectis contineri dignoscitur, sibi a dicto nostro genitore concessa et concessas approbamus,

1) Vgl. Reg. imp. VI, 969.  
folgende fol. 19 des Chartulars.

2) Soweit das Blatt der MG. Das